

graduum poli; quanto magis si ad-
densaretur terra illa densitate,
quæ pro tanto hiatu necessaria erat.
Et præsertim versus centrum non
videtur illa condensatio, et compres-
sio facta, cum potius circa centrum
magna concavitas facta sit a Deo
pro igne inferni (et fortassis facta
est hac tertia die, si Angeli nondum
peccaverant, quando tanta terræ
immutatio facta est) illa enim fovea
quæ est locus inferni, cum debeat
recipere innumerabilia corpora dam-
natorum, oportet quod sit vastissi-
ma, et quod terram multum com-
presserit. Unde si adderetur nova, et
major condensatio ex hiatu illo oce-
ani, maneret sine dubio terra cum
excessiva, et præternaturali densi-
tate ad modum lapidis indurata,
quod non videmus.

XIII. Si autem dicatur tertium, sci-
licet id quod effossum, et extractum
est ex illa concavitate superadjec-
tum esse superficiei terræ discoop-
ertæ, vel in montes distributum;
quod attinet ad distributionem mon-
tium, facile id admitterem, quia soli
montes non potuerunt consumere
tantam quantitatem terræ, quantam
illa concavitas terræ detraheret, si
tantus hiatus esset, ut totam aquam
maris caperet sine elevatione. Si
enim illa profunditas adeo vasta fuit
ut totam maris aquam reciperet sine
elevatione, impossibile erat in solis
montibus totam consumi. Nam mare
profundius est in majori sui parte
etiam altissimis montibus, licet in
aliis vadosis locis, iisque paucis pa-
rum profunditatis habeat. Quod si
esset æqualis, aut depressior ipsa
terra, et sine ulla elevatione congre-
gatum in illa voragine, sine dubio
deberet illa profunditas omnibus
montibus esse altior, quia erat vas-
tissima moles aquæ illuc congre-
ganda, scilicet tanta quod totam
terram cooperiebat, idque in nota-
bili altitudine super terram: ergo

non potuerunt montes qui sunt in
terra totam illam effossum terræ
consumere. Patet consequentia, quia
terra non in omni parte habet mon-
tes, sed magna ex parte habet pla-
nitiam, illa autem vorago, et hiatus
mediam partem terræ, aut fere di-
midiam occupavit, ergo si tota illa
terra effossa deberet consumi in
montibus, tota pars terræ discoo-
perta deberet esse montuosa, et ni-
hil relinquere pro planitie, cujus
contrarium videmus.

XIV. Si vero dicatur totum illum
cumulum effossum ex illa voragine
esse superadjecum terræ discoo-
pertæ, ergo facimus illam in tota
sua magnitudine magis altam, et
elevatam, quam naturalis ejus sta-
tus postulat. Et sic ista sententia
dum reputat inconueniens quod ele-
mentum aquæ sit paululum eleva-
tum super terram, quod est magis
connaturale elemento aquæ, quod
naturaliter est altius, et elevatius
terra, incidit in majus inconve-
niens, quod terram facit magis alti-
tam et elevatam, quam naturalis
ejus status postulet, adjiciendo super
illam tantum cumulum, et elevatio-
nem terræ, quantum ex illa vora-
gine, et hiatu extractum est, ita
quod si terra esset sine ulla aqua,
elevaretur tali terræ effossione su-
peradjecum duobus miliaribus, aut
amplius in altitudine quasi perpen-
diculariter erecta, quam naturalis
ejus status postulet. Hoc autem est
idem inconueniens quod opposita
sententia asserit pro elevatione aquæ,
ergo in idem incidit, attribuendo
illud terræ. Quod si ex his duobus
elementis aliquod debuit elevari in
majorem altitudinem, convenien-
tius id factum est in aqua, quam in
terra, quia aqua est subtilior, et na-
turaliter superior, et elevatior ter-
ra, ergo connaturalius illi attribui-
tur quam terræ. Quod etiam insi-
nuat pluribus locis Scriptura, ut

est illud Ecclesiast. xxxix: *In verbo
ejus stetit aqua quasi congeries, et in
sermone oris illius quasi exceptoria
aquarum*: ubi non loquitur de aquis
elevatis in mari rubro, sed in hac
congregatione prima aquarum, ut
exponit glossa, quia tunc facta sunt
exceptoria aquarum, nec enim in
transitu mari rubri talia exceptoria
facta sunt: si ergo in tali congre-
gatione stetit congeries aquarum, uti-
que elevatio aliqua illarum facta est.
Item dicitur Psalm. xxxii: *Congre-
gans sicut in utre aquas maris*, in utre
autem elevantur, et accumuluntur
aquæ in tumorem, non sicut in sta-
gno diffusæ sunt. Et Psal. lxxviii:
Venit in altitudinem maris; ergo
mare altitudinem aliquam habet
saltem respectu littoris a quo rece-
ditur.

XV. Quapropter sententiam D.
Thomæ sic explicamus, quod in loco
ubi congregatæ sunt aquæ, v. g. in
oceano sine dubio aliqua concavi-
tas facta est in quam fluxerunt aquæ,
sed non tanta, quod non fuerit ne-
cessaria aliqua elevatio aquæ, ut
exciperetur tota illa congeries. Et
addensatio aquæ etiam facta est,
quia ut mox dicemus aqua maris
densior est, et crassior aqua flumi-
num, et fontium. Si autem dicas:
Si non admittimus aliquam cavita-
tem, et hiatus factum esse in terra,
retorquetur argumentum nostrum,
quid factum est de illa terra inde
excavata, et extracta? Facile res-
pondemus ex dictis, quod potuit suf-
ficienter consumi in montibus qui
facti sunt in tota terra, qui licet su-
pra naturalem statum terræ elevati
sint, non tamen totum elementum
terræ sic elevatum est; et ita non
mansit totum extra suum natura-
lem statum, sed in multis partibus
terra mansit in sua planitie. Illa
autem elevatio montium, licet vi-
deatur terræ ex parte præternatu-
ralis (licet non in toto elemento)

fuit tamen necessaria valde pro alio
fine naturali, scilicet pro susten-
tatione animalium, et hominum,
juxta illud Psal. cxlvi: *Qui produ-
cit in montibus fœnum, et herbam
servituti hominum*, et pro aliis mul-
tis commoditatibus vitæ humanæ,
pro temperando calore, ventis, tem-
pestatibus, pro humectanda terra,
emittendis fontibus, et fluminibus,
etc.

XVI. Fundamentum oppositæ sen-
tentiae parum urget. Negamus, mi-
norem partem mansisse opertam
aquis. Nec illud ex libro iv Esdræ
valet, quia liber ille canonicus non
est. Et quidquid sit, hodie ex navi-
gationibus, et tabulis geographicis
constat mare, aut dimidia, aut fere
dimidia parte cum terra discooperta
comparari. Nec est necesse illam
elevationem aquarum sic perpendi-
culariter fieri super terram, sicut si
elevator paries, aut murus, sicut si
elevator valde difforme esset, et præ-
ternaturale, sed terra excavata, et
aperta est, ita tamen quod non reci-
peretur ibi tota aqua sine aliqua
elevatione, quæ paulatim, et fere
insensibiliter fit, nec enim oculis
eam percipimus in ipsa aqua, in me-
dio tamen maris magna est respec-
tu littorum. Nec potest experientia
deduci ex majori, et vehementiori
navium motu a medio mari ad littus,
quam a littore ad mare, tum quia
hæc elevatio maris fit paulatim, et
valde insensibiliter, unde non facile
percipitur, aut sentitur; tum quia
mare patitur diversos motus tum ab
impressione astrorum, tum a ventis,
tum circa littora, ut est fluxus, et
refluxus, tum in mari alto ubi mo-
vetur alicubi a septentrione ad me-
ridiem, alibi diverso motu secundum
quod occurrunt diversa promontoria
et dispositio terræ, ubi aquæ con-
junctur, et diverso modo concitan-
tur. Unde ex tam variis motibus, et
concurrentiis non potest experien-

tia aliqua sumi, ex qua causa proveniat quod navis magis, vel minus cito recedat a littore, vel accedat, et an revera ita sit, quod citius accedat ad littus quam recedat.

XVII. Eodem modo responderi potest ad alia similia argumenta quæ fieri solent pro opposita sententia, ut ex quibusdam locis Scripturæ, quæ insinuant terram esse superiorem, et altiorem aqua, aquam vero inferiorem, ut cum dicitur terra fundata super mare, Psalm. xxiii: *Quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit eam*: Psalm. cxxxv: *Qui fundavit terram super aquas*: Psalm. cvi: *Qui descendunt mare in navibus*. Quæ omnia stare non possunt, nisi mare sit inferius terra, non elevatius. Addunt et rationem, quia si mare esset elevatum, et altius terra, naturaliter inclinaretur ad operiendam terram, quia naturaliter fluit aqua ad locum decliviorum, et sic esset violentum terram non operiri aquis. Et fluviorum decursus esset violentus, quia ferretur in locum elevatiorem, et altiorem, scilicet in mare, si est altius terra. Sed respondetur loca Scripturæ non cogere. Dicitur enim, terram, aut ejus plenitudinem fundatam esse super maria, tum quia discooperta terra, fit ex aqua, et terra discooperta globus unus, et sic necesse est multas partes terræ, quæ sunt discoopertæ, habere aquam maris pro diametro opposito, seu pro antipode, ut etiam videre est in ipsis tabulis geographicis. Et sic multum terræ discoopertæ videtur fundari super aquam, quia habet illam pro opposito sui circuli, seu globi. Attamen si consideretur ipsa terra, seu littus, ut continens aquas maris, continet eas ut intumescentes, et elevatas, sicut aquæ in utre, sicut dicitur Psal. xxxii: *Congregans quasi in utre aquas maris*. Tum etiam dicitur terra fundata super aquas,

id est, prope aquas, quia discooperta terra facta sunt littora quasi ripæ, et oræ prope maria, cum antea tota terra haberet aquas super se. Communis autem phrasis est *ly super sumi pro ly prope*, sicut dicitur: *Super flumina Babylonis illic sedimus*, id est, prope ad ripam fluminum. Et sic dicitur terra præparata super flumina, id est, disposita irrigatione fluminum, seu prope flumina existens. Dicuntur etiam descendere in mare naves propter declivitatem littorum ad mare, licet postea navigando per multas leucas veniatur in altitudinem maris. Ad rationem dicitur, quod mare si non sisteretur terminis arenæ, operiret terram, unde quod non operiat, specialiter attribuitur potestati divinæ Job xxxviii, et Jerem. v, ut etiam hic adnotat S. Thomas articulo i ad iv, sed tamen dicitur mare naturaliter contineri, et non diffundi super terram, quia illa jussio Dei continetis mare ordinatur ad alium finem naturalem, et bonum universi, scilicet propter vitam animalium et hominis, et plantarum. Ad illud de fluviiis, et eorum decursu, dicimus quod non decurrunt violenter, licet aqua maris sit elevatior terra quasi in medio pelagi, quia fluvii non decurrunt per mare, sed usque ad littus, et oram maris, ubi autem mari miscentur non amplius decurrunt, sed motu maris fluunt, quia unum cum ipso fiunt. Quamdiu autem fluunt per terram, declivi motu feruntur, quia terra declivem alveum præstat usque ad mare, nec est elevatior illo.

DISCOOPERTIO TERRÆ, ET EXSICCATIO QUOMODO FACTA.

XVIII. Congregata aqua in unum locum, et recedente a majori parte terræ, nulla difficultas est in disco-

opertione terræ, sicut remoto indumento, discooperitur homo. Unde totum hoc pertinet ad unam et eandem actionem qua per motum localem recessit aqua, et discooperta est terra. Exsiccatio autem terræ facta est immediate a Deo, sicut fecit suo imperio germinare terram, quæ sine aliqua exsiccatione tantam herbæ, et plantarum multitudinem germinare non posset. Non enim alia causa secunda posset in tam brevissimo tempore terram exsiccare, quia cum in illa tertia die germinaverit terra, in illa quoque exsiccata est. Non poterat autem tantam exsiccationem facere sol, non ventus, non Angelus. Non sol, tum quia virtus ejus sola non potest etiam multis diebus exsiccare lutosam terram ex pluvia, quanto magis madefactam a toto mari desuper cingente terram: tum quia sol non potest simul una die, seu uno medio die totam terram illuminare, sed partem, ergo neque totam exsiccare, fuit autem tota exsiccata tertia die, quia tota germinavit illa die, et protulit herbam virentem, lignumque faciens fructum. Non a vento, tum quia non constat per totum globum terræ ventos tunc spirasse, eosque tam vehementes, sicut requirebatur ad tam citam et brevem exsiccationem totius terræ; tum quia ut tam cito exsicarent, deberent esse venti valde vehementes, et urentes, sicut de vento, qui siccat fundum maris rubri dicitur Exodi xiv. Venti autem sic urentes, et siccatantes cum tanta vehementia, impedirent germinationem herbæ virentis, et tot plantarum, nisi Deus faceret miraculum, quod talis ventus urens germinationem non impediret. Non Angelus id fecit, quia non operantur alterationes nisi applicando activa passivis, non erant autem aliquæ causæ applicabiles ab ipsis pro tam brevi, et tanta ex-

siccatione, nisi aut venti, aut sol, et istæ causæ non sufficiebant. Quare connaturalius id fiebat ab ipso auctore naturæ, quia illa exsiccatio est immutatio integri elementi, quod non potest fieri ab aliqua causa secunda, et inferiori ipsi Deo.

QUAS QUALITATES IN HAC CONGREGATIONE AQUA AQUISIERIT?

XIX. Duas acquisivit. Prima fuit major quædam condensatio et crassities, experientia enim patet crassiorem esse aquam maris aquis fluviorum, et fontium, nec tamen illa condensantia est tanta, ut sit præter speciem, et naturam aquæ, quia vere fluidam reliquit. Et dato, quod esset aliquid ei præternaturalis, est tamen conveniens ad alium naturalem finem, et bonum universi, scilicet ad generationem, et conservationem eorum piscium, qui in aquis fluvialibus consistere non possunt, ad navigationem, et receptionem plurium influentiarum cælestium, quæ in fluminibus non recipiuntur, ut motus, fluxus, et refluxus, et alii similes. Alia qualitas quam mare acquisivit est salsedo, quam experientia ipsa testatur in toto mari. Nec illa provenire potest solum ex solis ardore, licet multum inde juvetur, quia falsior est superficies maris quam fundum, et sal ex aqua coagulatur ardore solis. Non tamen ea sola causa sufficit, tum quia in regionibus circa polum, mare est salsum, et tamen ibi vix radii solis feriunt, et multis mensibus in hieme sol non conspicitur; tum quia radii solis maxima flumina, et lacus feriunt non minus quam mare, nec tamen salsedinem illis imprimunt. Alia ergo causa hujus salsedinis assignanda est, nec alia quam auctor naturæ, quia cum sit qualitas, et immutatio in toto ele-

mento facta, a solo auctore naturæ potuit emanare. Fuit autem necessaria, et connaturalis ista qualitas aquæ non secundum se præcise considerata, sed aquæ ut deservienti generationi piscium, et ne putreficerent aquæ ardore solis, et ut præstaret homini commoditates salis, et ad alia similia quæ sunt etiam fines naturales non pro solo elemento, sed etiam pro mixtis, et eorum conservatione.

QUOMODO SIT LOCUS UNUS IN QUEM CONGREGATÆ SUNT AQUÆ?

XX. Dicitur ille locus unus dupliciter. Uno modo unus respective, quia antea erat communis toti terræ circumdando eam, postea erat unus separatim a terra, seu seorsum faciendo suum locum. Secundo, dicitur unus continuitate quadam, quia licet sint plura maria, ratione cuius dicitur: *Quod congregationes aquarum appellavit maria*, omnia tamen maria habent continuationem, et influentiam ex oceano, qui est aquarum omnium caput, et principium, vel manifestam, vel occultam. Præcipua enim maria præter oceanum sunt Balticum in Dania, quod in varios sinus dividitur usque in Finmarchiam, Mediterraneum in freto Gaditano, quod longitudine porrigitur usque in Palæstinam, latitudine vero varios sinus complectitur, ut adriaticum mare, Ægeum, Euxinum, Mæotidem. Est et mare rubrum, seu arabicum ab oppido Aden prope mare Indicum inter Abyssinos, et partem Ægypti, atque Arabiam felicem, discurrens usque ad oppidum Sues in finibus Ægypti ubi terminatur. Est et mare Persicum ab oppido Ormuzio circa ostia Indi ex oceano influens per regnum Persicum usque ad fauces Euphratis, et Tigridis. Et hæc maria ma-

nifestam habent influentiam ex oceano, et continuationem cum illo, sicut in novo orbe illud quod circa fines novæ Hispaniæ est, et vocatur mare rubrum, et aliqua freta, ut fretum Magellanicum, S. Vincentii, Danis, etc. quæ etiam ex oceano continuantur. Et omnia ista in locum unum congregata sunt unitate quadam continuationis, et originis ex alio, non unitate simultanea, et absoluta.

XXI. Sunt tamen aliqua maria omnino clausa, neque aliquod commercium saltem manifestum cum oceano habentia, quæ tamen potius magni lacus, quam maria dici possunt. Maximum quod scitur hujus generis est mare Caspium, seu Hyrcanum, modo ab incolis mare de Bachu appellatum ab oppido Bachu adjacente illi mari supra Persidem versus Tartariam. Salsum est, et piscibus abundans plusquam ducentorum milliarium longitudinem obtinens. Et sunt plerique qui existimant illud communicationem aliquam occultam cum maximo Tartariæ flumine Oby habere, ac per illud in oceanum septentrionalem exonerari. Revera tamen alii existimant potius lacum esse dicendum quam mare. Nam et in Africa aliqui similes lacus reperiuntur nullam habentes cum mari communicationem. Inter quos sunt duo insignes apud fluentia Nili, non ut existimantur aliqui (et Ptolemæus significat) positi sub montibus lunæ et unus ad latus alterius ex quibus putant Nilum oriri. Nulli enim tales lacus in tali situatione, neque sub lunæ montibus reperiuntur, sed ut ex nostrorum peregrinationibus hoc tempore constat, præsertim Edwardi Lopez, qui regionem illam oculatus testis peragravit, et refert esse duos lacus recta linea a meridie in septentrionem dispositos. Unus in duodecimo gradu versus

polum Antarcticum, horridis, et inaccessibleibus montibus circumdatus, quales sunt Caffates, montes nitrosi, montes argenti, et alii similes. Inde primum ortum habet Nilus, et deinceps per vastas solitudines ductus nullo fere certo alveo (unde, et a plerisque absorberi putatur sub terra, sed revera pluribus milliariibus defluit) usque ad alium lacum adhuc majorem ab incolis mare dictum continentem ducenta viginti milliaria in latitudine, et sub linea æquinonotiali situm, unde deinceps sumit decursum Nilus per septingenta milliaria ad insulam Meroen, et ad Syenen ubi sunt ejus cataractæ et inde Ægyptum ingreditur. Videatur descriptio regni Congi, lib. II, cap. X, per Augustinum Cassiodorum Reinio latinitate donata. Quare sicut ista maria non sunt nisi lacus latissimi, ita et mare Caspium, quamquam incognitum nobis sit, an occultum aliquem influxum, et communicationem habeant cum oceano.

HERBÆ, ET PLANTÆ NON SOLUM VIRTUTE, SED ETIAM ACTU IN HAC TERTIA DIE GERMINARUNT.

XXII. Hæc fuit tertia actio hujus diei dicente Deo: *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructum*. Et dubitari videtur ab aliquibus, an solum receperit terra hac die virtutem, et potentiam germinandi herbas, et plantas, an etiam actu germinaverunt. Videtur enim D. Thomas in hac quæstione articulo II, non refragari sententiæ Augustini v super Genesi ad litteram, capite V, tenentis, quod plantæ in hac tertia die non sunt productæ in actu, sed solum causaliter, et in virtute, sicut aliis diebus res productæ acceperunt seminalem virtutem ad propagationem; her-

bæ autem, et plantarum productio, quædam propagatio est. Et sic confirmat eam D. Thomas duabus rationibus. Prima est jam insinuata, quia productio plantarum pertinet ad propagationem, opus autem propagationis, et administrationis rerum incœpit post septimum diem. Secunda est quia in secundo capite Gen. dicitur: *Quod istæ sunt generationes cæli, et terræ in die qua fecit Deus cælum et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, et omnem herbam terræ, priusquam germinaret*. Non potuit autem herba regionis fieri antequam germinaret, et virgultum agri antequam oriretur, nisi causaliter, et virtute non actu.

XXIII. Nihilominus oppositum sentit S. Thomas et vere sentiendum est secundum alios expositores (ut dicit ibi S. Thomas et doctores sacros, quamvis propter reverentiam Augustini debitam noluerit S. Thomas ejus opinionem expresse refellere. Augustinus enim coactus est eam sententiam tenere consequenter ad illum sensum quem ipse habet, quod illi dies, qui referuntur in Scriptura, quibus Deus hoc universum fecit, non sunt naturales dies sicut isti quos modo habemus, sed unus dies secundum diversas cognitiones, et affectiones angelicas. Cum autem ipse Augustinus non neget inter corporum creationem, et mixtorum propagationem, seu productionem ex istis corporibus aliquam temporis successionem intercessisse, nec enim hæc per creationem facta sunt et consequenter, nec in illo primo instanti oportuit dicere, quod si aliquid in diebus, seu duratione, quæ ad creationem pertinet germinavit, seu productum, est quod sit mixtum, illud non de actuali productione, sed de causali, seu de virtute ad illud propagandum, intelligendum sit non solum in herbis, et